



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1688

XXII. In Domin. II. Post Pascha. Lupus rapit, & dispergit oves. Ioann. 10.
Arg. Infectatio luporum.


Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

siquidem in pace illius erit pax vestra.

Horrescat ille, quisquis pacificis relucetatur intentionibus graviolem de cælo manum, ne dicam fulmen, infaustissimosque rerum successus. Timeat ne excidat sorte, & dignitate pa-

cificis constituta; siquidem. *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Expavescat, qui hanc panem gratiosè allatam non suscipit, qui hic rixari haud desistit, ne ibi Furiis, ac Harpiis infelix digladiator æternum cohabitaret, Amen.



CONCIO XXII.

IN DOMINICA II. POST PASCHA.

Lupus rapit, & dispergit oves Joan. 10.

ARGUMENTUM.

Insectatio Luporum.



Uis ille? Non hic agitur de effemis illis, & irrationabilibus, silvarum, nemorumque latibula incolentibus Lupis;

quemadmodum nec de ovibus brutis in campis pabulantibus. Aud. Quis ergo ille? Numquid diabolus? Profecto Lupus hic rapacissimus, qui gregem Domini dissipat, cum fidelem populum per tentationem necat. Verum ligatus ille est; latrare, ululare potest; mordere, jugulare non potest, nisi volentem. Crudelior, & efferaior est alter, isque domesticus. Quis hic? Num hæresiarcha quispiam? De his Vas Electionis: *Ego scio, quoniam post discessionem meam, intrabunt Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Revera Lupi etsi in vestimen-

tis ovium, qui oves, canesque Ecclesie id est Doctores persequuntur; qui effingunt nonnunquam vocem canis, & Pastoris quatenus liberius grassentur, ovesque ad dexteram alioqui locandos officii suis abripiant, dispergant, enecent, Sed his Dei benignitate hæc Communitas exempta est. Quis tandem? Respondet D. Gregorius: *Lupus super oves venit, cum qui libet injustus, & raptor, fideles quosque, atque humiles opprimit.* Et hiperinde, ac Lupi duplicis sunt generis. Alii enim vespertini dicuntur, qui sub vesperum, aut noctu gregi insidiantur; alii meridiani, qui in luce serenissima oves dispergunt, rapiunt, offocant. Ita domestici Lupi, alii sunt, qui clanculum, astu, & fraudibus simplices circumveniunt; alii qui vi, palamque eorum bona sibi arrogant, mordicusque

Lupus quis

Alt. 20. v.
29.

D. Greg. h3.
14. in E. v. 1.

cusque retinent. Quid cum his agam? (Neque enim in hac urbe, ac vicina defunt, qui vel in proprium sanguinem deserviant.) Quid agam dico? Anno evoluta conabar illos edocere *Pater noster*, sed fortasse incassum, remissit enim ille: Ovis, Lucrum. Vellem hodie edocere illos Arithmetam, quatenus percipiant, quanta debita contrahant, vel in hac, vel in alia vita exolvenda. Sed Lupus non curat numerum, devorat etiam numeratas oves; (ut vulgò jactatur.) Quid ago? Jungam illum aratro, siquidem est bellua fortis, multorumque rusticorum boves, asinosque jugulavit. Subeat igitur ipsorum onera, vicesque expleat. At difficile est cum Lupo arare. *Fodere* inquit, *non valeo*. Quid igitur? Insectabar belluam, canemque concitabo in illam.

Narratio.

Canes doctores Isa. 56
10.

II, At unde Canes? Quemadmodum Lupi præfati rationales sunt: ita canibus non brutis, sed rationabilibus; non Anglicis, sed Angelicis ad eos exagitandos opus est. Quinam isti? Apud Isaiam redarguit Dominus scribas, & Legis Mosaicæ Doctores, quod essent *Canes muti, non valentes latrare*. Canes dantaxat ad devorandam substantiam gregis Dominici; Canes, quos habebant oppilatum ossa auri, munerumque; aut eodem scelere, quod increpare debuerant, coinquinati. Ergo ut illi, & iniqui Doctores Canes muti, canes inutiles, noxii; ita Canes perinfigues, generosi, ac vocales, Prædicatores bo-

ni; habentes linguam ad sanandas animas, ad allatrandum perfidos, ad defendendum justos. Hisce utar in Venatione mea præsentè, ad raptos iniquos exagitandos, tollendosque.

§ I.

Invectiva D. Augustini in Lupos rapaces.

III, Age præcurre Augustine. Hæc quem nomino, quam Angelicum Canem incito? Illum inquam, qui Pelagianos, Manichæos, Donatistas, aliavè hæreseos monstrat in tantum infectatus est; ut pleraque vel omnino confecerit, validissimè infirmaverit. Hunc jam recingo, inque eos imprimis concito Lupos; qui pecuniam in divisione bonorum celant, qui ea, quæ sibi vendicant, minimi; quæ alteri parti obveniunt, maximi appendunt; qui pupillorum hæreditatem iniquissimè sibi usurpant. S. Augustine invade ocium, arripe, stranguilla, offoca. Audite, ut latret vel eminus; & pavescite: *Quæ ista aviditas concupiscentia? Nec timet Deum, ne hominem reveretur, nec patri parcat, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillos invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert. Quæ est ista insania amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum.* Quæ inquam vesania ô Lupe in suum degenerante natura servire sanguinem? Hominem incommo alterius suum commodum augere, magis adversatur naturæ, quam pau-

Avaritia tyrannis

S. August. ser. 6. de verb. Domini

pau-

paupertas, quam dolor, quam Mors ipsa. Si senim hæc affectio in nobis sit, ut quisque propter suum emolumentum spoliet alterum, aut violet, necesse est tolli hominum societatem, quæ est secundum naturam. Quæ ergo rabies tua, quæ cæcitas, ut nec agnato parcas sanguini, nec præsens intuearis exitium, & intentata in interitum tum venabula? Quæ est ista velania acquirere aurum, perdere cælum, amittere vitam, appetere mortem?

Lucra Muscipula

Ibid.

IV. Urge, urge preme Augustine fortius. Pergit idem: *Olucrum damnosum! dum acquiris pecuniam, perdis justitiam, perdis animam. Pradam, quam rapere cupis muscipula est, in qua sicut mus volens capere lardum caperis, dum capis; detines alienum, à diabolo detineris.* Nonne observasti Lupe, quemadmodum muri insidias fruuntur; ut modicum adipis appenditur, quod cum primumprehendit, apprehenditur; felixque in prædam cedit, aut aquis immergitur? Nonne vidisti, ut modica grana, aut spica aliqua inter laqueos ejicitur; quam emedullando volatilia cæli illaqueantur? Nonne notatum est à te, ut fratri tuo Lupo effero, & silvestri fovea eruitur, & porcellus quispiam, aut anas in offam exponitur, quem cum is ardet devorare, ipsemet, offa salva, & integra, à foveæ faucibus absorbetur. Hæc tua fors est, hæc alea te manet rapacissime oppressor. Quidquid per vim à pupillo, à proximo, à cognato extorseris, id laqueus est, hamus est, quo caperis, & detineris. *Dum capis, caperis.* Tutenes offam, & lucrum, diabolus te stringit mancipatum. Etro alii liguriunt,

& decoquunt offam, & lucra injusta, manente re perinde ac Lupo silvestri in fovea inferni famelico & egeno.

V. De creaturis universim loquitur sapiens: *Creatura Dei in odium facta sunt. & in tentationem animabus hominum; & in muscipulam pedibus insipientium.* Non suo tamen vitio, sed culpa eorum, qui is abutuntur. At id multo verius de injustis dicitur, quod hac ratione à præda sua illaqueantur, capiuntur, vita, saluteque sempiterna excidant. *O vere lucrum damnosum, dum acquiris pecuniam perdis justitiam, & animam.* Et quid prodest, si vel mūdum universum lucreis, animæ vero tuæ detrimentū patiaris? Quid prodest, si in hoc mundo gaudeas, in altero inter stridores dentium ingemiscas? Quid prodest, si hic per rapinam tibi nundiaeris nomen opulenti, si alibi subeas carcerem æternæ ignominie, & tormenti? Quid prodest, si filii tui gaudeant bonis iniquæ partis; tu extremis conficiaris suppliciiis? Numquid sitim tuam extinguent inter flammarum volumina, ipsorum falerna? Numquid famem Tantaleam sedabunt ipsorum epulæ? Numquid pœnas tuas mitigabunt ipsorum deliciae? Numquid nuditatem tuam operiet ipsorum purpura? Nūquid Judicem, aut Tartarum placebunt, ipsorum divitiæ? Ah falleris, falleris miser! Ipsorum vina tuum vehementius inflammabunt incendium; ipsorum epulæ tuam irritabunt acerbius famem, ipsorum opulentia tuam exaggerabit inclementius miseriam. Quantum illis accedit ex bonis tuis factus, ac malitiæ; tantum tibi supplicii,

Sap. 14. v. 11

plicii, ac lanienæ. Sic dum nomen tuum, aut filiorum promovere satagebas fortunam, unam tibi præstinaſti infelicitatem, *O verè lucrum damnosum &c.*

*Furti & lu-
era in iuſta
reſtituenda*

*S. Aug Ep. -
54. ad Mace-
donium*

*Damna e-
mergentia
compensanda*

VI. Exululas forſitan: Conſitebor peccatum meum. Quid? Conſiteberis? Ah, ah non ſatis eſt; *Sires aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit; & non reddatur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur; ſi autem veraciter agitur, non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablata.* Non ſufficit tibi *ò Lupe* emulſitare *Conſiteor mea culpa*, niſi una reſarcias damna, nec dignus eſt peccati venia; niſi una reſundas ablata,

Regurgitas: Reſundam ergo. Utinam quod eſt in ore, ſit in corde. At tamen ſcito, non ſatis eſt reſtituere quod ſurripuiſti, niſi in ſuper damnus emergens, ac perturbationes, afflictionesque compenſes. Nam & fur tamen ſi reſundat rem oblatam, at tamen manet obnoxius ſupplicio, aut mulctæ pecuniariæ; ita & tibi haud ſatis erit reſtituere ablata, niſi etiam damna emergentia exæques.

Reululas: Faciam, Bene eſt. Quando autem? Non te fallat, quod quamdiu rem alienam detines, tamdiu non ceſſes furari, & peccare. Non enim minus, quam furum quicumque rem alienam detines, invito Domino, Non te lateat, quod ſi identidem promiſiſti conſcientiæ tuæ arbitro, te læſæ parti ſatisfactorum, nec fidem exolvisti, te ab eodem expiari ſalva religione non poſſe. Non te prætereat,

utur aliis virtutibus Chriſtianiſ ad ſpeciem eſfulgeas, & debita non reſtituas, ſi poſſis, de ſalute tua actum eſſe.

VII. Necdum obtumefcis. Patperes, reſponſas, ſucceſſores relinquam in Teſtamento, & in codicillis meis eos rerum mearum Dominos Inſciam, inſcribamque. Videlicet cum non amplius inhumanis eris, tunc humanus fururus es. Cum te cadaver videro, fraternæ charitatis ſtudiosum appellabo. Magna tibi laus danda erit, quod poſt mortem juſtus eſſe velis; per ampla gratia habenda de officio pietatis, quod cum in ſepulchreto jaceas, & in cinerem reſolutus ſis, liberalis, ac magnanimus videare. Quid in hoc differs à Lupo ſilveſtri? Nonne & ipſe ſecundum fata ſua cedit pellem ſuam aliis. *O igitur inſignem pietatem tuam!* poſtquam tu, & proximus à te oppreſſus interiit miſeris, ac dolore conſectus, alios illius vellere fovere velle. Domino tuo proprio ablata reſtituenda, vel ſucceſſoribus poſteris; (Si id, ut dixi fieri queat,) non pauperibus, non monaſterium, non eccleſiæ. Quidquid ex illorum bonis erogaveris in pias cauſas, in illorum cedit ſalutem, non in tuum ſolatium, Etsi forſitan hac in parte pietati quidpiam litaveris, Inſtitutiæ necdum ſatisfeciſti.

Quamquam quid fruſtra tecum diſputo Lupe? Vana ſunt hæc tua aurguria; atramento, utinam non etiam

atra mente

*Bona abla-
ta propriis
Dominis re-
ſtituenda*

atra mente satisfactionem in agone polliceris. Quis enim tibi renuntiavit diem exitus tui? Quis fidejussor erit de genere mortis tuæ? Quod violentis casibus sublatis sunt, quibus ne in vocem quidem prorumpere licuit? Quot febris ad insaniam redegit? Quid igitur tempus præstolaris, in quo nec cogitationum tuarum arbiter eris? Nox profunda, morbus gravis opitalatur nusquam; sæpe mentem abripiunt, & in diversa agunt. Insi-diatores verò bonorum in promptu aderunt, agentque consilia, quomodo cuncta ad te pertrahant, tuasque voluntates postremas ad petram allidant. Non evades itaque Lupe, quidquid votorum conceperis, quidquid excusationis attuleris, nisi ocius respicias, ac restituas.

§. II.

Invectiva S. Chrysostomi.

VIII. Fatigas te nimium cum hoc cane mi Augustine ideoque in auxilium socium tuum recingo Antiochenum. Illum inquam cujus latratu non Antiochia duntaxat, sed ipsa Cæsarea Majestas in Eudoxia expalluit; qui nec ferro, nec morte ab ex-agitandis Lupis inhiberi potuit.

Alexandro Macedoni oblatuse-
Major Canis rat canis à Bactrianorum Principe, quem cum incitaret in ursum jacuit, in aprum vix respexit, at ubi Leo emissus tam mordicusprehendit, strinxitque fauces, ut quantumvis cau-

da primum, tum pedes præcisi essent; attamen non desisteret, & cum morte ipsa hostem non dimitteret. Typus hic Canis mei Angelici, invasit & hic Leænane, an Lupam, propter rapacitatem, rectius dixerim, Eudoxiam; & quantumvis eidem adjectiva quæque, & pedum, ac tiara pastoralis adimeretur, quantumvis in exilium proficeretur, attamen ad mortem usque non destitit suo fungi officio, luposque offocare. Hunc jam in clamo, hunc emitto; KS. Invade, apprehende, offoca Chrysostome. Si Lazarus nulla affectus injuria à divite, sed quod iis modo, quæ illius erant, fructus non est: acerbis illi extitit accusator; quæ defensione utentur ii, qui præter quod non misereantur de sua, etiam auferant substantiam alienam? Si illi, qui Christum esurientem non aluerunt, cum diabolo inextinguibili igni addicuntur; quantum supplicium dependent ii, qui fame Christum necant, ver id quod rapiunt; & vestitum denudant; & hospitem non modo non recolligunt, sed abigunt etiam; & infirmum non modo non visitant, sed magis conterunt etiam; & vinctum non cognoscunt; verum etiam solutum in carcerem conjici curant? Si qui sua non impartitur accusatorem habet eum, cujus misertus non est, quam veniam merebitur is, qui aliena rapit? & pupillarum, ac viduarum domos evertit?

S. Chrysost
 Or. de Avaritia.

Avavorum
 condicio
 misera

IX. Majorum nostrorum ætate bonum omen habebatur, si in egressu è Penatibus propriis gibbosum quispiam obviam nactus fuisset. Forte, quod Gibbosus quotidianum pon-

Gibbosus o-
 lim bonum o-
 men

7.1.

cus suum citra laborem ferre videretur? vel quod tumore ipso largam opulentiam, congestosq; quasi in mantica thesauros adumbraret. At ego sistrum id potius omen interpretor; & quotiescunque mihi quispiam occurrit, de cujus evidenti rapina constat, hominem mihi arbitrari videor, iam inferiori Averno devotum, quem Furia coronant operientes Dei dispensantis nutum, ad ipsum abripiendum, ac dilaniandum.

Avari Camelo similes

*Matth. 19. v. 24.
Mar. 1. v. 25.
Luc. 16. v. 25*

Quæritis undenam id augeret? Audite. In eiusmodi Gibboso Camelum mihi imaginor, enormi promontorio in dorso oneratum, & reduco mihi Domini mei acroama: *Facilius est Camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum cælorum*, iniquum maximè, & harpaginem. Nec illud, nec istud ordinario naturæ cursu evenire potest; & si contingat prodigium est in utroque. Non ergo felicitatis, sed infortunii maximi omen gibbus est.

Item Dracones

X. Sapientes Antiqui, teste Clemente Romano, & aliis, dracones thesauris incubare credebant. An ut Divinitatis apud eos serpens hieroglyphicum extitit, ita Divinitatem quandam nummis hac ratione attribuebant? An ut notarent incredibiles avarorum vigilias, ita ut Argi & infomnes dracones videantur in tuendis suis gazis? An quod Avari perinde ac dracones exitiales sint, & maxime venenati? In compertum mihi est. Id verius edixero; illos iam à draconibus Tartareis possideri, qui aliena per vim & rapinam sibi vendicant. Non enim me sinit errare, qui entheo ore pro-

cutus est: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria inutilia, & nociva, que mergunt homines in interitum. Qui volunt divites fieri, sibi præcipitium effodiunt. quoque profundius sibi, per omne nefas accumulando, illud eruerunt; eo deterius devolvuntur.*

Tim. 6. v. 17.

XI. Poëta Avaritiam seu habendi libidinem, in monstro hydræ adumbrarunt. De hac scribens Aristonicus apud Photium, dimidium illius caput aureum fuisse auctor est, qualis autem pars altera dimidia fuerit, subtrahit. Si liceret conjecturare, dicerem fuisse merum virus, ut ex auro, & veneno, veluti ex duobus fœnestissimis elementis constituisse mihi videatur; quod vix Hercules clava sua, & invicta fortitudine conficere quiverit. Hoc monstrum eruditus hominum ingenii in palude, perinde ac proprio domicilio ab ipsis natum, ac conservatum fingitur. Et ubinam quæso iniquitas, seu injustitia moratur? Apostolus qui ad tertium cælum raptus, & audivit arcana Dei novit probe ubi ponendum fuerat, & inscripsit eidem profundissimam Orci abyssum: *Mergit homines in interitum, & perditionem.* Ubi pro mergere Græcus textus habet: *in profundam abyssum demittit*, ut nimirum miserandam divitum catastrophæ ob oculos ponat; ostendatque quod quanto sublimius eminere aliis, substructis sibi ex aliorum facultatibus, quasi quibusdam substelliis, nitebantur; tanto miserabilius prolapsos esse; aut prolapsuros. *Mergit homines in interitum.* Audis hæc Lupe, &

Avaritia hydra

Injustorum interitus

non

non exululas super mala tibi jamjam
impendentia.

§. III.

Invectiva S. Jacobi Apostoli.

XII. Ut hoc præstes, idque à te
evincam, vel penitus tibi fauces præ-
cludam, adhuc unicum, eumque A-
postolicum canem emitto. D. inquam
Jacobum Apostolum: Audite, &
contremiscite, quorquot adestis,
quam potenter Lupos hosce infe-
stet: *Agite nunc divites plorate ululan-
tes in miseriis vestris, quæ advenient vo-
bis.* Non ait, lugete, plangite, plo-
rate, sed *ululate*, (quod proprium est
luporum, ac ferarum) super ea, quæ
eventura sunt vobis. Quænam illa
inquiretis? Ecce subdit idem: *Arugo
(divitiarum vestrarum) in testimonium
vobis erit, & manducabit carnes vestras,
sicut ignis. Thesaurizastis enim vobis i-
ram in novissimis diebus.* Overè ter-
rificata verba, quæ certè animum me-
dullitus configerent, nisi aures mul-
to auro (quæ sentes inutiles indige-
tantur) præclusæ essent.

XIII. Duo hic ingentia mala
tangit Apostolus, quibus vos Lupi
lamentabilem in modum cruciandi
estis; qui toti fuistis in coacervandis
opibus, ac possessionibus. Primum,
quod ad vestrum opproprium in ex-
trema judicii die spectat, est: *Aru-
go eorum in testimonium vobis erit. A-
rugo ipsa pecuniarum vestrarum, quæ
firmissima custodia, non restituendo
eam Dominis propriis vallastis, ipsa
bonorum raptorum putredo, ipsa ti-
neæ quibus vestimenta, vel tigna e-*

rosa sunt, in illo districto judicio, in
nationum omnium luce, ac conspe-
ctu prodibunt in medium; & ve-
stram avaritiam, vestram injustitiam,
vestram in pauperes inhumanitatem,
ut incorrupti, legitimi, atque oculati
testes inculabunt. *Arugo eorum in
testimonium vobis erit.* Hic secuta est
iniquitas, si tamen apud Consules
hospitetur; nec caret laude vitium,
& injustitia, si lauro non careat.
Nescit ruborem in cocco, fatisque à
securibus securum est flagitium inter
falces; eo alio tunc securus & à supplicio
remotius, quo propinque lictoribus,
Judicique vicinior. Timet hic iniquitas
flammas, si recubet in feno, secuta
exultat, si in auro luxuriat. At vero in
illa die, in illa vita, nullum discrimen jam
faciente inter divitem & pauperem
auro & cocco, *arugo ipsa in testimoni-
um vobis erit.*

XIV. Vaticinatus id ipsum vobis
Habacuc Vates oraculo suo: *Væ qui
congregat avaritiam malam domui suæ, & ut
ut sit in excelsis nidus ejus. Lapis de
pariete clamabit, & lignum, quod inter
juncturas est adificiorum respondebit.* Væ
illis, ait, quibus ut accrescat lucellum
in cista, nihil pensi habent violare ju-
stitiæ leges, causitque omnibus cere-
um nasum affingere; tracturi jus in
eas partes, unde majorem conjiciunt
fortunarum accessionem. Væ illis,
quorum insatiabilis acquirendi cupi-
do facit ad cælum suspirare pauperes,
aut pupillos, expugnaturus Deum ar-
matis sive precibus, sive lachrimis in
vindictam, tam inclementer ipsos
tractantium, & opprimentium, Væ
illis, quia etsi pœna differatur, non

Luc. 5. v. 1.

Ibid.

Divitia
noxia

anferetur Ærugo ipsa, lapides ipsi, lignave, coram Deo, totoque mundo, vestram tandem injustitiam, rapinasque evulgabunt, meritam vobis exoratura Nemesis. Et si enim homines obmutescerent, lapides ac ligna haud secus, ac sanguis innoxie effusus vindictam intonabunt, omnesque diras, ob vim illatam, evoment.

*Opes injuste
vertuntur
in tormenta
Luc. 5. v. 2.*

XV. Alterum est, quod vobis hic minatur Apostolus: *Ærugo eorum manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Eadem ærugo in fluvium igneum refingetur æris candentis; & eliquabitur plumbi instar balneum sordium vestrorum. Eadem ligna domorum, hortorum, animam vestram inflammabunt, exurentque miro, sed tamen verissimo artificio. Illæ sepes, quas vos agrarii in dispendium dominorum surripitis, vertentur in carbones, quibus ustulemini: *Manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Eò quod vos ex avaritia livistis æruginem depalcere opes vestras, ea pariter in vos, desæviet devorabitque carnes vestras in gehenna. Nam per quæ quis peccat, per eadem punitur. *Manducabit carnes vestras sicut ignis.*

*Robustus
exemplum*

XVI. Quod ut liquidum orbi esset, ipsimet fulminati suam nonnunquam ad terrorem vestrum evulgavere damnationem.

*Greg. Turon.
de gloria
M. c. 106.*

Gregorius Turonensis Vir fidei integerrimæ, narrat ex sepulchro cuiuspiam fœminæ avaræ inaudita lamenta, voceque emissam: *Torqueor igne aureo, torqueor igne aureo.* Patefacto autem tumulo conspexere præsentem, aurum liquefactum cum sulphure in fauces emortuæ infundi.

Ita in civitate Metensi fœnerator jam jam abiturus ad plures, rogavit conjugem, ut sacculum pecunia plenum juxta se poneret in tumulo, tanquam solatiû, & præmium laboriosæ solertiæ. Id quantumvis clam factum erat, tamen à quibusdam noctu effossum est sepulchrum, sperantibus aliquas de auro, atque argento divitis reliquias. Sed terri sunt ingenti portento. Clarè enim intuiti sunt binos monstruosæ magnitudinis bufones, & alterum quidem sacculo, alterum mortuo insidentem; ita ut prior nummos ex sacculo extractos porrigeret posteriori, hic eos cordi fœneratoris ingereret; manifesto documento, quod ærugo eorum manduca verit carnes ipsorum sicut ignis.

*Cæsar. illust.
mir. lib. 11.
c. 39*

Subdit proinde S. Jacobus: *Theaurizastis iram in die ira.* O thesaurum exitialem! o thesaurum fulminandum! Voluistis coacervare aurum, & coacervastis vobis iræ thesauram. Coacervare conati estis divitias, & exaggerastis vestras miseras; auxistis mûdi cœnum, & perdidistis cœlum. *Theaurizastis vobis iram in die ira.* Theaurizare vobis debueratis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur; at vos theaurizastis vobis in terris ubi & ærugo & tinea demolitur, ubi fures effodiunt, & furantur, & ideo *Theaurizastis vobis iram in die ira.* Ipsæmet opes evasere cordis vestri tineæ, & latrones; ipsam aurum non erosum, erodet vos: *Manducabit carnes vestras sicut ignis.* Thesaurum congregare debueratis indeficientem in cœlis, & vos coacervastis vobis thesaurum in exhaustum

Ibid.

stum poenarum in inferis.

Theaurizastis vobis iram in die ira.

Eheu quem hi latratus non percellant? cujus aures non tinniant? quis totis ad eos non contremiscat artibus

XVII. Quod si tamen Luporum quispiam tam ferrei est pectoris ut his minimè commoveatur; quod si tam induratae mentis, ut hos morsus non sentiat; quod si tantopere obsurduit, ut latratus hos non exaudiat, is timeat dentes Cerberi jam jam sibi infligendos. Agnata enim Lupis omnibus laniena est, & si molossi, aut hybridae hic desint; alibi certo certius invenient, qui dentes in ipsos defigant.

Job, 2, v. 4. Time igitur ô Lupe, ne eadem te fors involvat, & antequam id tibi eveniat, pellem non pilum muta, (*Pellem enim pro pelle dabit homo pro*

anima sua.) exue te bonis alienis, & unicuique quod suum est restitue. Præstat hic pauperem vitam agere, quam ibi in stagnis sulphureis cum Tantalo captare poma fugatia. Præstat hic refundere, quam ibi exercuari, dum solvas ad quadrantem novissimum (quod unquam futurum est.) Præstat hic stipem ostiatim corrogare, quam ibi cum epulone avaro incassum guttam unam ad refrigerandam linguam à Lazaro emendicare.

Tu interim ô Christe Salvator, Pastor optime animarum nostrarum, Agnellos tuos fove, oppressos erige, afflictos solare, & ex sterilibus hilce pascuis ad aeterna & opima viridaria promove. Lupos verò in tantum transmuta, ut deposita feritate humanitatem induant, & ad omnem justæ rectique normam componantur. Amen.



CON.